

- 50 Utrum, & quando negligentia famulorum, vel Sociorum Mercatoris non solventium Gabellam pro mercibus, quas transeunt, per quam res incidunt in commissum, noceat mercatori non consentienti, vide allegata per *Tuscum Ver. Datium concl. 30. num. 4.*, & *in Ver. gabella concl. 14. in Ver. vectualis concl. 34.*, ubi, & quo remedio succurratur Mercatori, *Farinac. supra num. 50.*, *Peregrin. de Jure Fisci lib. 6. num. 35.*, *Versic. limita 4.*
- 51 Cum Rectores Provinciarum, & Præsides sint à Gabellis exempti, *l. si Publicanus §. de rebus. ff. de Publicanis, vectigal.*, &

commiss., sequitur in eos non cadere culpam, nec poenam negligentiae, *Peregrin. de Jure Fisci lib. 6. tit. 5. num. 23.*

- 52 Hoc autem pactum legis commissoriae latae contra negligentes solvere Gabellas, censetur justificatum ex eo, quod Princeps exponit se periculo lucris, & damni, quatenus per ministros depræhendendo negligentes, & omittentes solutionem; lucratur merces transectas, non depræhendendo, patitur damnum Gabellæ non solutæ, undè censetur recessisse ab antiquis legibus, & novo hoc quasi contractu pro securiori exactione sibi consuluisse.

De Negligentia Monialium.

S U M M A R I A.

- 1 **S**acræ Virgines elegerunt placere Christo Sponso specialiter modo, ideo negligentia in eis gravius punitur.
- 2 Per sacram professionem eligunt perfectiorem vivendi modum, & sic promittunt Sponso Jesu majorem diligentiam ad querendam perfectionem.
- 3 Ex tribus votis substantialibus, duobus servatis, si unum negligatur, puta Votum paupertatis, salus periclitatur.
- 4 Si Moniales retineant mobilia apud se eo animo, ut ita sint propria, & dispositæ, sint eas non resignare ad nutum superioris, violant votum paupertatis, & Obedientiae.
- 5 Possunt habere annuos redditus quoad usum, & de licentia superiorum, ad eorum tamen nutum amovibiles.
- 6 Possunt etiam retinere stabilia ex concessione Papæ quoad usum tantum, ita & legata hac conditione, ut determinatæ Moniali sint ad usum, & non vero ad proprietatem.
- 7 Quæ lucratur Monialis suo labore potest retinere ad suum usum ad vitæ necessaria.
- 8 Quæ sita per Moniales deponenda sunt apud superiorissimam, servanda ad ejusdem Monialis usum.
- 9 Limita ad necessaria, non vero ad inutilia, ut ad Ornatum, quæ autem sint necessaria, & quæ inutilia remittitur Judicio prudentis.
- 10 Abbatisa negligentia culpabitur, si noscens Monialem habere superflua, & sic violare votum paupertatis, negligat eam corrigere.
- 11 Nec excusatur si negligat, ne reddat Moniales animo sibi adversas.
- 12 Fervor devotionis Monialium solet evanescere in frequentia Colluquatorii.
- 13 Tolerabile si solum conjunctos alloquerentur.
- 14 Invitantur Moniales à Spiritu Sancto ad obliviscendum Domum Patris sui psal. 44.
- 15 Et ad relinquendum Patrem, & Matrem non solum corpore, sed etiam affectu.
- 16 Negligere observantiam Voti Obedientiae culpabile.
- 17 Quæ violant Votum paupertatis de facili violant etiam Votum Obedientiae.
- 18 Neglecta observantia Voti Obedientiae, Religiosa observantia regule magnum patitur detrimentum.
- 19 Virginalis castitas thesaurus est, & tamquam res pretiosissima diligentissime est custodienda.
- 20 Curiose investigationes, & confabulationes corda monialium commaculant.
- 21 Utrum negligentia, & omissio Monialium in recitando Divinum Officium extra Chorum sit culpa mortalis, communior Theologorum sententia affirmat, fundans se in asserta consuetudine.
- 22 Expenduntur plurimum Doctorum Verba, & sententia num. 23. 24. 25.
- 26 Aliqui Doctores probabile existimant Moniales omittentes recitare horas Canonicas extra Chorum non peccare mortaliter, & negant assertam consuetudinem.
- 27 Displicet valde, quod aliqui Doctores ausi sint dicere, temere negari assertam consuetudinem, & secundam sententiam dicunt improbabile.

- 28 Multa notantur ad effectum vindicandi auctores secundæ sententiæ à nota temeritatis eis omnino gratis impositæ.
- 29 Notatur vocem temere summi, ac contra communem sententiam Doctorum.
- 30 Ad dignoscendum an auctores secundæ sententiæ sint locuti contra communem Doctorum sententiam, plurimum Doctorum fundamenta examinantur num. 31. 32. 33. 34. 35.
- 36 Plures Theologi asserentes talem consuetudinem, eam supponunt, & non probant.
- 37 Neque ipsi possunt habere rationem testium, ubi ignorant factum.
- 38 Doctore testificanti de consuetudine creditorum si sit moratus in loco, secus si non sit ibi moratus.
- 39 Epistola Episcopi Panormitani testificatur solum de sua diocesi.
- 40 Assertio Doctorum non potest habere vim sententiæ Judicialis.
- 41 Consuetudo obligatoria non extenditur de loco ad locum.
- 42 Assertio, & negatio de eadem consuetudine respectu diversorum locorum verificari potest.
- 43 Consuetudo non potest dici notoria, quæ aliqua tergiversatione cœlari potest, vel ex diversis assertionibus sit dubia 44.
- 45 Ad Introducendam consuetudinem obligatoriam requiritur scientia, & consensus sine errore.
- 46 Non militat paritas ad effectum hujus consuetudinis à Regularibus Masculis ad Moniales.
- 47 Testes debent reddere rationem, quomodo noverint iam de quo testificantur, quam non reddunt D. D. asserentes hanc consuetudinem.
- 48 Ecclesia non damnavit sententiam negantium hanc consuetudinem.
- 49 Ex actibus facultativis non inducitur consuetudo obligatoria.
- 50 Petrus Marcantius iterum sententiam negantem hanc consuetudinem novis fundamentis defendit.
- 51, & 52 Afferuntur due declarationes Pontificiæ, prima Eugenii, secunda Leonis X. pro secunda sententia, nempe Moniales non obligari sub Mortali recitare horas Canonicas extra Chorum.
- 53 Probabilitas desumpta ex numero doctorum est infirma.
- 54 Solida probabilitas desumitur ex rationibus bene conclusentibus.
- 55 Jus non assistit obligationibus, sed potius resistit, dum eas non præsumit.
- 56 Doctores negantes consuetudinem obligatoriam, habent pro se Juris assistentiam.
- 57 Monialis, quæ fugam arripuit à Monasterio, instabat ope restitutionis in integrum sibi assignari terminum habilem ad dicendum de nullitate professionis, quod neglexerat per decem, & octo annos.
- 58 Pro parte Fisci dicebatur terminum non esse concedendum, & afferuntur fundamenta Fisci.
- 59 Non est verissimile, quod vis, & metus duraverit per decem, & octo annos.
- 60 Præsumitur de Jure professæ ex tanto tempore quo pro Moniali se habuit.
- 61 Nullitas professionis Monialis non potest prodesse militi, qui eam violavit, quin capitali sententia puniatur.
- 62 Contra præsumptionem Juris, & de Jure non admittitur probatio.
- 63 Defensio est de Jure nature, nec potest reis denegari.
- 64 Qualitas sacrilegii, quæ est fundamentum Fisci, est concludenter probanda.
- 65 Nec sufficit constare de qualitate sacrilegii per præsumptionem.
- 66 Quousque potest probari nullitas professionis, non dicitur constare sufficienter de qualitate sacrilegii.
- 67 In casu practico probata fuit nullitas professionis per Decianum, & obtinuit Monialem non condemnari in poenam ordinariam.
- 68 Contra præsumptionem Juris, & de Jure admittitur probatio in Judicio extraordinaria per restitutionem in integrum.
- 69 Per remedium extraordinarium restitutionis in integrum succurritur contra sententiam, quæ transit in Judicatum.
- 70 Quod una via erat denegatum, altera via conceditur per restitutionem in integrum.
- 71 Non verificata qualitate sacrilegii resultantem ex professione, non est locus poenæ ordinariæ.
- 72 Habitus non facit Monachum, sed requiritur valida professio.
- 73 Lex, & Canon si quis non dicam rapere punit poena ordinaria solum attentantem raptum Monialis.
- 74 Agens ad nullitatem professionis non dicitur agere, ad destructionem vinculi spiritualis matrimonii, sed vinculum nunquam fuisse contractum.
- 75 Concesso termino habili ad probandam nullitatem professionis, si Reus deficiat in probationibus,

- bus, satisfactum est omni Juri, & manet presumptio professionis.
- 76 Contra Militem Reum non verificantur verba legis, quæ infligit pœnam capitalem in casu rapientis, sollicitantis, corrumpentis Monialem.
- 77 Verbum corrumpere principaliter importat corrumpere in animo.
- 78 Judex dicitur corruptus, quatenus animus ejus depravatur à recto, ita Notarius, & testis.
- 79 Miles in casu fait ipse à Moniali sollicitatus, & corruptus.
- 80 Puellæ non corrumpentur corpore, nisi prius corrumpentur animo, & corde.
- 81 Lex si quis rapuerit loquitur de masculino sollicitante.
- 82 Militi reo, cui non competunt verba legis, neque convenit ejusdem legis dispositio.
- 83 Decius existimavit assertum non tutum dicere, quod cognoscens mulierem deserentem habitum religiosum incidat in pœnam legis.
- 84 Sollicitare, & corrumpere sunt quid diversum.
- 85 Sollicitare potest esse sine effectu, corrumpere importat suadere cum effectu, & colligitur ex l. 1. §. fin. C. de rapt. Virg., num. 86.
- 87 Corrumpere, & cognoscere carnaliter importat quid diversum.
- 88 A majori ad minus qualiter in presenti casu possit argui.
- 89 Tex. in l. si quis in hoc genus C. de Episcopis, & Cleric. non aptatur presenti casui.
- 90 Sufficere verificari corrumpere vel in animo, vel in corpore dicebatur pro Fisco.
- 91 Ita, & sufficere, quod Mulier haberetur pro Moniali, sicuti adulteræ quod haberetur pro juncta in matrimonio valido, licet esset invalidum.
- 92 Contrarium verius ad effectum imponendi pœnam ordinariam.
- 93 Sicut potior est Virginitas mentis, quàm corporis ita potior est corruptio mentis, quàm corporis.
- 94 Corruptio corporis sequitur ad corruptionem mentis.
- 95 Corrupti in corpore potest esse sine peccato, non sic corrupti in animo.
- 96 Lex habens plures sensus non potest allegari ad decisionem causarum.
- 97 Alias non potest certo dici, legislator hoc voluit.
- 98 Non sufficit habitam pro Moniali ad effectum

- imponendi pœnam ordinariam.
- 99 Illa sententia, quod ad incurrendam pœnam adulterii sufficiat matrimonium haberi pro valido, licet non sit, pluribus responsionibus tollitur, num. 100. 101. 102. 103. 104.
- 105 Impedimentum publicæ honestatis oritur dato quocumque impedimento, præter quam si ex defectu consensus matrimonium sit nullum.
- 106 Miles in casu multo innocentior, quàm Monialis.
- 107 Eductio monialis è Monasterio sufficit ad pœnam ordinariam, si habeat rationem raptus, alias secus.
- 108 Ex Sacris Scripturis probatur, quod Verbum corrumpere principaliter importat corrumpere in animo.
- 109 Qualiter convertitæ validè profiteantur non completo anno probationis, & quid requiratur.
- 110 Præsentia patientia, & taciturnitas qualiter inducant consensum.
- 111 Præsumptio taciti consensus potest impugnari.
- 112 Concilium Trid. irritavit professionem emissam non completo anno professionis in quacumque alia religione, excepta convertitarum, & quare.
- 113 Facultas de emittenda professione non completo anno professionis continebat clausulas, & conditiones, quæ non fuerunt servatæ.
- 114 Commissa Episcopo non possunt exequi à Vicario sine speciali delegatione.
- 115 Copula habita extra territorium non potest puniri ab hoc Judice, & quare num. 116., & allegantur plures D.D. hinc inde nu. 117. & 118.
- 119 Opinio affirmativa limitatur primo si Judex procedat per Inquisitionem.
- 120 Vel tunc punit, quando delinquens est subditus vel originis, vel domicilii.
- 121 Delictum punitur ubi est inchoatum tam respectu agentis, quàm patientis.
- 122 In presenti casu sunt duo delicta specie distincta, unum hic, aliud alibi inchoatum.
- 123 Miles Reus est Subditus Originis, vel domicilii, ubi deliquit, aut delictum inchoavit.
- 124 Neque ad effectum ut puniatur pœna Ordinaria sufficit domicilium Juris, quod per militiam acquiritur Ubi cumque Inveniatur miles.
- 125 Scholaris potest conveniri ubi degit ratione studii pro delicto alibi commisso.
- 126 Contrarium est verius.

- 127 Miles dicitur habere domicilium ubi meretur stipendia militaria, ut puniatur à suo Magistro militum pro delictis ad militiam spectantibus.
- 128 Raptus est, quando abducitur mulier etiam consentiens, si hoc fiat invitis parentibus, vel aliis habentibus illam in custodiam.
- 129 Talis raptus non sufficit ad imponendam pœnam ordinariam.
- 130 Vis interpretativa non est ubi non concurrunt preces importune, munera, promissiones &c.
- 131 Miles condemnatus fuit ad triremes perpetuas; & sic ad pœnam extraordinariam, quidquid reclamaverit Patronus Fisci, Monialis vero ad carcerem perpetuam.

ARTICULUS XXVIII.

De Negligentia Monialium.

- M**oniales Virgines Deo sacratæ vocante Jesu Christo Sponso, elegerunt ei spetiali modo placere, inservire, famulari, Fidem servare; unde Christus Dominus in Evangelio Mathæi cap. 25., in quibus sibi placerent, aut displicerent edocuit; Prudentes enim fuisse, prædicat, quæ diligenti studio, non parentes labori, nec otio torpentes, obviam jerunt Sponso cum lampadibus paratis, ac oleo repletis vasis, propter quàm diligentiam, adveniens Sponsus nocte intempesta eas vocavit ad nuptias, introduxit in domum, ad æterna, ac superna recepit gaudia, è contra verò Virgines fatuas rejecit, easque nescire protestatus est; si autem quæramus causam tanti infortunii, non nisi negligentiam inveniemus, non enim paraverant lampades suas, non oleum in vasis suis habere diligenter curarunt. Quod potissimum Sacras Moniales perterere deberet, ne post hanc vitam à Cœlestibus nuptiis reiciantur omissione culpata, & propter negligentiam neglectæ ipsæ audiant à Sponso nescio vos.
- 2 Certum est enim, quod Monialium status tendit ad majorem perfectionem, quàm in sæculo quisquam profiteatur; unde dū eligunt Religionem ingredi, in ea profiteri, & Deo se per regularem professionem sacrare, est eligere perfectionem vivendi modum, & Sponso promittere diligentiorum famulatum, ut recipiantur à Jesu Christo in Sponsæ, & ad Cœlestes nuptias evectæ regali ornatu, à Rege Sponso demate coronentur.
- Videant ergo, quantum mali negligentia

- operetur in eis, quæ est in causa, cur tanto bono, cur tanto honore priventur.
- 3 Status autem Regularis perfectio consistit in emissionem, & observantiam triumvotorum, Castitatis nempe, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ propterea sunt de substantia Religionis, ita ut, si duo serventur, alterum verò negligatur, totum corruat in casum, quod non raro evenisse, experientia docuit in neglecta observantia voti Paupertatis; nam licet verum sit, quod ubi communis vita non sit in usu, liceatque Monialibus apud se habere vestes linteamina, aliaque hujus generis utensilia ad victum, & vestitum necessaria, tamen nunquam potest verificari, quod ea habeant tamquam propria, ita ut talis affectus, & animi dispositio, voti violationem importet, ex quo nec possunt dicere mea sunt, nec de eis liberè disponere, donare, alienare, cum solum usum sibi secundum rei veritatem, ipsamet concedat Religio, alias esse proprietarias: declaravit Trid. sess. 25. c. 2. de Regular., & Monial.
- 4 Hinc sequitur primò, quod si Moniales ea mobilia, quæ habent apud se, ita retineant, & taliter affectæ, ut si à Superiore, vel Superiorissâ ea auferentur, negligerent promptè consignare, observantiam Voti Paupertatis læderent, & tamquam propria recusarent pati hujusmodi ablationem, peccarent mortaliter contra votum Paupertatis, ex notatis per Rodriguez. tom. 3. q. 29. art. 15., Sanchez. ad decal. lib. 7. cap. 22. nu. 15., Tambur. de Jure Abbatiss. disp. 8. q. 2., ubi num. 5. bene observat, quod Moniales, ex vi voti Paupertatis, privantur